Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26112
Copyright: Admont, Benediktinerstift

que carne · et illos oculos possidere · in quos festuca peccati non possit incidere · quia illos quoque solo visu per concupiscentiam possunt homines in interitum gehennae mittere · De monacho qui moriens solidos reliquit ·

CCV 110 Quidam frater extrinsecus parcior magis quam avarus · et nesciens triginta argenteis dominum ihesum venundatum · centum solidos quos lina texendo collegerat moriens dereliquit · Initum est inter monachos consilium · nam in eodem loco circiter quinque milia divisis cellulis manebant · quid facto opus esset · Alii pauperibus distribuendos esse dicebant · alii dandos ecclesiae · nonnulli parentibus eius remittendos · Macharius vero et pambo et isydorus et ceteri seniores patres sancto in eis loquente spiritu decreverunt infodiendos esse cum domino suo · dicentes · Pecunia tua tecum sit in perditione · Nec hoc crudeliter quisque factum putet · tantus enim terror et pavor per totam egyptum cunctos monachos invasit · ut unum solidum dimisisse apud eos grandis esset criminis · De adolescente qui nulla arte potuit libidinem superare

CCVI Erat quidam grecus adolescens in egypto in cenobio · qui nulla continencie · nulla operis magnitudine flammam carnis poterat extinguere · Cumque ad patrem monasterii hec eius temptatio perlata fuisset · hac ille arte eum servavit · Imperavit cuidam viro grandi · ut iurgiis atque conviciis insectaretur adolescentem · et post irrogatam iniuriam primus veniret ad querimoniam · Cumque imperata sibi perficeret · insuper vocati testes pro eo loquerentur qui contumeliam adolescenti fecerant · Ille cepit flere contra mendacium · cottidie gemitus · cottidie lacrime effluebant · sedebat solus quia amaritudine repletus erat · omnique auxilio destitutus ad ihesu pedes iacebat · Quid multa · ita totus annus ductus est · Quo expleto interrogatus adolescens super cogitationibus pristinis · An adhuc molestie aliquid sustineret · Respondens dixit · pater · vivere mihi non licet · quemadmodum fornicari libet · Ita igitur per hanc artem spiritali patre procurante adolescens superata libidine salvatus est · Expliciunt vite patrum a sancto Ieronimo conscripte

De monacho solitario qui in finibus cirinee in parvo tugurio manebat